

1609 tere statuerat. Jamque Genuenses triremes, quæ illum Bar-
chinonem deveherent, in promptu erant; respublica, lega-
tione Philiberto decreta, ut regio apparatu acciperetur, sta-
tuerat; ut nulli dubium esset, quin Carolus Hispano con-
ciliatus, sese ei penitus adjungeret. Cum repente denuo in
eamdem ambiguitatem prolapso, ad iter comparata revehi,
fancita immutari, cuncta perverti. An ea vere atque ex animo,
an potius astu & calliditate a Carolo efficerentur, incertum.
Vivido namque ingenio, ac supra quam dici possit, peracuto
atque acri, sua consilia miro simulationis ac dissimulationis
artificio tegere solitus erat. Igitur qui Gallo favebant, de in-
tegro assurgere, atque ad illius partes trahere Ducem ni-
tebantur. Ita ancipiti deliberatione distentus hærere, ha-
sitare, nil expediti ac certi consilii capere; cunctis ex-
ternis atque Ital's Principibus anxie expectantibus, utram
in partem inclinaret, magnum momentum ad Europæ sta-
tum allaturum ratis.

*Mau-
rum facinus
de Hispania Rege &
aula vene-
no toller-
dis.*

*Mauri ab
Hispania
ejecti.*

Dum hæc fiunt, magnam rem Hispani aggressi, tandem
post diutinas consultationes perficiunt. Indies namque cum
maximis incrementis Maurorum numerus augeretur, virus-
que adeo serperet, ut ingens malum Hispaniæ toti, ni quam-
primum coerceretur, portenderet; nihil æque Philippum ur-
gebat, quam, si fieri posset, teterrima peste regnum libera-
re; cum præsertim eo gentis prolapsa fuisset audacia ac per-
fidia, ut in Regis ipsius caput conjurasse existimaretur, olei
cadis aliquot veneno infectis, regiæ mensæ adhibendis, in
aulam missis; quod quidem facinus, nisi opportune dete-
ctum fuisset, magnam in regia stragem editurum constabat.
Eo sane facinore aliisque saepius erumpentibus perfidiæ no-
tis, permoti Hispani, Mauros penitus ex Hispania expelle-
re, in alias regiones atque in Africam præcipue amandare
statuunt. Carolo Auria cum triremibus Genua evocato,
centum circiter ac viginti millia in Africæ oras transmisere,
reliquis alio palantibus ac dispersis. Nec deerant, qui fa-
ctum carperent, quod tot hominum millia baptismate ab-
luta (licet in iis multi christiana sacra eamentirentur) quo-
rum laboribus Hispania creverat, seminudos, bonis exu-
tos, omni ærumnarum, calamitatis, ac necis generi obje-
cis-